

dentum venisse : rumoremque satis constantem vagari , illum propediem , in fines reipublicæ Taurisum versus impetum facturum . quas ob res legatum , qui Taurisi rebus belli præcesset , Joannem Paulum Gradonicum Patres legerunt : & militum quina millia undecunque celeriter conscribenda esse sanxerunt : atque uti e nobilitate cives viginti Patavium , **X.** Taurisum mitterentur ad eas urbes custodiendas , cum **X.** militibus singuli , totidemque e plebe urbana cum tribus , qui portis eorum oppidorum adfisterent , Senatusconsulto addiderunt : Grittumque exercitum sine mora Patavium adducere jusserunt : scripsisse enim Justiniano , ut si quipiam cognosceret , quod impedimento esset , quo minus conveniret inter Maximilianum atque rempublicam , quamprimum possit , ipse operam daret , ut quidquid id esset , omnibus modis e medio prorsus tolleretur .

Quoniam autem Principis , & ejus collegii jussu editum propositum fuerat , ne cui , qui fisco deberet , frumenta possessionum suarum in urbem advehere , nisi ipsis permittentibus , liceret : ne ea res advectiones moraretur , altero edicto facultas in urbem advehendi civibus omnibus est data . quodque sunt in Sili flumine molæ frumentariæ perplures , quibus civitas utitur , eas qui custodirent , armatos homines in naviculis **XXIII.** uti suburbia , quæ a septentrionibus sunt , mitterent , Senatus jussit , æque inter ea , quæ quatuor sunt , diviso navicularum numero , cum Muriani Torceliique magistribus , qui eis præcessent : panisque classicus omnibus cum viginti dierum stipendio publice datus : quorum dierum spatio quid hostes molirentur , sciri posse Patres existimaverant . Exercitu Patavium adducto , militibusque mille , in Rhodigianis finibus qui erant , quos Patres evocaverant , eodem introductis ; magna est hominum fuga ex agris cum Patavium tum etiam Taurisum facta , ut omnes viæ carrorum , pueros mulieres & impedimenta domestica convehentium , implerentur . quem timorem augebat , quod afferebatur , quoniam hostes Leonini .

H. Bembi.

Ee

nicæ.

1511
Patavium
& Tauri-
sum mu-
niuntur.